

cedenda per nomen personale, sed per nomen essentialiale, & commune veluti in hac propositione, tres personæ diuinæ sunt vnus Deus, illa demonstratio non est exercenda per nomē personale, puta Patrē, & Filium, & Spiritum Sanctū, sed per nomen Deus, & sic demonstrata qualibet alia persona: ita eodem modo demonstrato Patre verū est dicere Pater, & Filius sunt hoc principii, & similiter demonstrato Filio: quæ opinio nō placet, quia est expresse cōtra S. Th. tertius modus dicendi est Scoti dicentis Spiritū Sāctū procedere à Patre, & Filio, nō vt sunt plures, sed vt vnū, ita qd ad hoc vt Spiritus Sanctus producatur nō est necessaria per se dualitas personarū sed vna persona sola potest producere, qui modus dicendi defenditur à Licheto, & male contra communem opinionem Theologorū præsertim Alex. Alen. p. p. suæ summæ: Authoris opinio est in resp. ad arg. Henr. quōd ista propositio Pater, & Filius, sunt vnū principium Spiritus Sancti supponit, nō pro vna notione, nec pro essentia, nec pro vna persona, sed pro duabus personis simul, & habet confusam suppositionem, & nō determinatam, nihilominus in doctrina S. Thom. verificatur conuertēs, & cōuersa. s. Pater, & Filius sunt vnū principium Spiritus Sācti, & vnū principium Spiritus Sancti sunt Pater, & Filius vbi ly vnū determinate supponit pro virtute spiratiua &c.

Circa tertiam cōclusionem, nota quōd aliquando S. Thom. concedit Patrem, & Filium esse duos spiratores propter authoritatem Hilarij dicentis Spiritum Sanctum esse à Patre, & Filio auctoribus tamen ibi vitur tam Hilarius q̄ S. Th. substantiuo p̄ adiectiuo, vel vt aliqui dicunt retractarūt se &c.

Circa quartam cōclusionem, nota quōd Dominicus Bannes Hispanus tenet quōd ista propositioes sunt æquipollentes Pater, & Filius sunt vnū principium Spiritus Sancti, & sunt idem principii, & sunt hoc principium, sicut vnus spirator, idem spirator, & hic spirator, & male (iudicio meo) quia ly idem, & ly hoc, ratione articulationis possēt de notare suppositum, & sic non est concedenda, propterea tu prudens lector sequere auctorem in concla. propositis, & pro ampliatione lege Duran. in 1. sent. dist. 29. q. 3. & Gabrielē emulatore, Ochā Rubionem & Torres. p. p. sic etiam Caiet. in expositione vltimi articuli q. 36. p. p. Circa tamen cōclusionem principalem attende, quōd non est de re, sed de modo loquendi, & quia loquendum est vt plures, qui dicunt quōd Pater, & Filius debent dici vnus spirator, quia sicut omnes personæ conueniunt in actu causandi, ita pater & filius in actu spirandi, sed tres personæ nō dicuntur tres creatores, sed vnus Creator, ergo Pater, & Filius non debent dici duo spiratores, sed vnus spirator, alij vero Doctores dicunt oppositum propter authoritatem Hilarij secundo libro de Trinitate qui dicit confitentium est Spiritum Sanctum esse ab authoribus, sed idem est author, quōd spirator, si igitur Pater, & Filius possunt dici authores respectu Spiritus Sancti, igitur possunt etiam dici, & spiratores. verum prima opinio est sequenda, & exponenda est authoritas Hilarij, vt exponit S. Tho. quōd loquutus est excessiue, accipiens substantiuum pro adiectiuo, vt dictum est supra, De quare legendi sunt Authores supra citati.

Distinctio Decimatercia. **H**æc præfens distinctiva quæst. absoluitur habente duos art. in quorum primo ponuntur tres concla. quorum prima est, ista processiones passiuæ acceptæ non distinguuntur seipsis formaliter hanc docet S. Thom. de potentia Dei, quia vnūquodq; distinguuntur ab alio specie, vt ad a quo speciem habet, sed nulla processio, seu motus habet speciem à se, sed à principio, seu à termino, ergo ista processiones non distinguuntur ex seipsis formaliter, secunda conclusio est, ista processiones non distinguuntur realiter ex hoc quod vnus est per modum intellectus, & alia per modum voluntatis, hanc probat in præfenti distinct. quia nulla distinctio est sufficiens principium distinctionis realis, sed intellectus, & voluntas in Deo distinguuntur tantum ratione, ergo talis distinctio non sufficit ad realem distinct. processioinum tertia conclusio est, ista processiones distinguuntur secundum ordinem originis, hanc habet S. Thom. de potentia Dei, & ratio est, quia ista processiones cum non distinguuntur seipsis formaliter, neq; ex principijs: ergo ex terminis, sed termini nō distinguuntur ex hoc quōd vnus habet hoc, alius non, sed quia vnus originatur ab alio, ergo, & processiones similiter, quia processio nature siue intellectus est ab vno. s. a Patre, processio amoris à duobus nempe à Patre, & Filio. Nota circa hæc concla. quōd non cadunt sub fide, sed sub diuersis opinionibus, hinc aliqui dixerunt hæc processiones distinguuntur realiter ratione suppositorum in quibus sunt, quæ opinioem sequitur est Romanus Aegid. hic, Aliqui voluerūt eas distinguere per principia formalia, de numero quorum est Ioannes de Neap. & Henr. Aliqui volunt sumi earū distinctioem ex infinitate diuinæ essentia: quæ sub vna in distincta ratione est principium istarū productionum, & hanc opinioem sequitur est Adamus, & Gabriel in hoc lib: Alij dixerūt istas productiones distinguuntur, quia vna est cum alia, & cum oppositio eius, quam opinioem sequitur Gof. in Quolib. Scot. & Lichetus eius expositor volunt hæc productiones distinguere seipsis formaliter, quia generatio formaliter se ipsa est generatio, & spiratio se ipsa formaliter est spiratio, & recitantes opinionem S. Tho. dicunt quōd S. Th. voluit hæc emanationes distinguere per relationes oppositas prioris, & posterioris, & male narrat sententiam B. Thom. quia nullam prioritatem in eis ponit, sed tantum ordinem originis, vt clare est videre in tota doctrina Angelica, igit. malè Scotus, & Lichetus imposuerūt D. Tho. quōd nūquā somnauit, falsissimam quoque Scotus, & Lichetus elegerunt viam distinguendi hæc processiones, inter omnes alias vias superius enarratas, quia illa quæ conueniunt per se in aliquo non distinguuntur se ipsis primo, vt docet Arist. 5. Metaph. Gm duæ species quæ per se conueniunt in genere animalis non distinguuntur seipsis primo, sed per differentias contrahentes genus, sed diuinæ processiones conueniunt, quōd vtraque est substantialis diuina infinite perfecta, ergo nō distinguuntur seipsis primo, vt vult Scotus, Præterea, & secundo illa se ipsis primo distinguuntur, quæ seipsis totis distinguuntur secundum formalitates Scotistarum, sed diuinæ proces-

1. sent. dist. 12. q. 1. q. 4. 3. mēb. vltimo.

q. 36. art. 4.

Cap. 20.

q. 10. art.

q. 1. art. 2.

q. 10. art.

Quolib. 5. art. 1.

Dist. 6. q. 1.

Cap. de diuerso.